

E P I T O M E.

Induciae cum Turcis in tres menses pactae, Laurentio Grito, altero Andreae Principis notho, praecipue annitente. Gallicus apud Turcas orator per simulationem amicitiae Venetorum res haud leviter turbavit. Chariadenus Neocastrum, quotquot praesidio erant, ad unum caesis, aut captis, de Hispanis cepit. Idem Joannis-Matthaei Bembi virtute deteritus intentatam vim ab Ascripio abstinuit. Quamquam secus Imperator, Galliaeque Rex Senatui suaderent, pacem cum Suleimano X. Virum mandato, traditis illi Nauplio & Epidauro, Aloysius Baduarius Byzantii sancivit. In Hungariam, Joanne Rege extincto, Suleimanus Regi puero opem laturus cum descendisset, Budam per dolum occupavit. Carolus V. magnis apparatibus ad Algerium oppugnandum profectus, tempestatis vi disiecta classe, Hispaniam re infecta repetiit. Galliae Rex Caesarem diversis regionibus aggressus est. Maranum, maritimum in Forojulio oppidum, quod sub Ferdinandi ditione erat, Paulus Strozzius astu furtim occupavit. De proditoribus, qui Galliae Regi secretiora Senatus, ac X. Virum decreta, quae per ipsum cum Turcis etiam fuerant communicata, aperuerant, Gallico oratore, in cujus aedes sese receperant, tradere eos coacto, iustissimum supplicium sumptum est. Turcica classis Tholoni portu a Gallis excepta, iisdem auctoribus, Niceam irritum successu oppugnavit. Caesar ex Hispania per Venetorum fines in Germaniam profectus, Menapiorum Principem feliciter domuit, & supplicem in gratiam recepit. Maranum, solutis Paulo Strozzi quinque ac triginta aureorum millibus, Veneti in fidem recepere. Tum denique cum maxime dubium arderet inter Caesarem, & Gallos bellum, pax inter ipsos conciliata est. Turcae a Gallis dimissi, totam maritimam oram, qua transvecti, foedissime deformarunt. Annuas inducias Turcae Caesari concessere, quibus & Veneto caveri Rustenus voluit. Caesar turcici belli metu liberatus, de componendis religionis dissidiis sedulo agitare coepit. Petrum Landum, Reipublicae Principem, vita defunctum Franciscus Donatus excepit: Paullus Pontifex Farnesiis suis beneficiario jure Parmam & Placentiam tradidit. Caesar susceptum contra Germaniae Principes bellum quatuor mensium spatio mira felicitate confecit. Ad Cenetenses, grave Marini Cardinalis Grimani imperium querentes, praetor Venetiis missus est. Grimano extincto, priora Episcoporum jura Michaeli Turriano, ut Pontifici gratificaretur, iterum Senatus concessit. Eduardus VI. in Anglia, Henricus II. in Gallia extinctis parentibus succedere. Saxonum Dux a Caesare profligatus: Hessiae Lantgravius in gratiam ab eodem receptus. Novae in Italia turbae simul ob praesidium Senis a Carolo impositum, simul ob Petri-Aloysii Farnesii caedem concitatae. Quinquennales induciae inter Carolum Imperatorem, Ferdinandum ejus fratrem, & Suleimanum Turcarum Regem pactae sunt. Sabbas pirata a Laurentio Amulio captus & interfectus. Ejus caedes pacem inter Venetos ac Turcas pene inturbavit. Caesar multa iis, qui a Catholica Ecclesia desciverant, dum controversiae omnes componerentur, interim concessit. Decreto Interim nomen est factum.